

www.e-rara.ch

Nodus praedestinationis ex sacris litteris doctrinaque SS. Augustini, & Thomae, quantum homini licet, dissolutus

Sfondrati, Celestino

Romae, 1696

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-26050>

§. IV.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

manu in pugna vulnere vitam finiret. Audi Theodoretum Lib. 3. cap. 20. Ex improvise vulneratus Martem inculpabat, quod auxilium minimè tulisset; Apollinem, quod falsa vaticinatus esset, Jovem fulminantem, quod in suum interfectorem fulmen non corripisset. Ferunq̄ue porrò simul ac plagam acceperat, manum protinus sanguine implevisse, illumq̄ue projecisse in aërem, ac dixisse: *Vicisti Galilee*. Nicephorus projecto in altum sanguine exclamasse his verbis dicit: *Saturare Nazarene*. Cui hanc Catastrophen rerumq̄ue feriem consideranti, non continuò in mentem veniat verissimè à Dionysio Areopagita dictum esse: *Deus etiam à se aversos, ac resilièntes, amatoris sequitur, ac deprecatur ne pereant*.

Observandum hic est Auctorem morbo correptum extremam manum huic narrationi imponere haud potuisse.

§. I V.

Orationem etiam peccatoris, cum illa petit, quæ ad vitam æternam consequendam necessaria sunt, semper exaudiri, sicq̄ue in peccatoris potestate esse, etiam gratiam illam efficacissimam, & triumphatricem orando impetrare.

S U M M A R I A.

- I. *Quid sit efficacia gratia triumphatricis, fusè, multisq̄ue ex Augustino testimoniis exponitur.*
- II. *Qua ratione voluntas humana præter objecti propositionem à Deo physicè iurvetur, ac etiam præmoveatur.*
- III. *Orationem efficacissimum, certissimumq̄ue, medium esse, quo etiam peccatores gratiam illam specialem, ac triumphatricem assequi possint, ubi distinctio peccatoris ad bonum conantis, & non conantis.*

IV. Pro-

- IV. Probatur ex Sacris Litteris , juxta Patrum expositionem .
 V. Ac etiam ex ratione .
 VI. Qua ratione sint intelligenda Scriptura , cum dicunt , non exau-
 diri peccatores .

VT quæ dicturi sumus , intelligas , simulque liquidò constet , quid sit illa efficacia , & energia gratiæ triumphatricis , quæ difficultatem omnem expugnat , altius repetenda res est .

I. Sciendum igitur , naturæ humanæ innatum esse quoddam , intensumque , ac ferè perpetuum gaudendi desiderium : quod enim in appetitu sensitivo , brutisquæ animantibus delectationem , hoc in homine , & appetitu rationali gaudium vocamus . Cujus quidem rei , ut notat Aristoteles , superfluum est , causas quærere , tum quia per se notæ sunt , tum quia primæ causæ frustra alia causa inquiritur : at talis est delectatio , & gaudium , nam si ex mercatore quæras , cur velit navigare ? respondebit , ut Indias teneat : cur Indias petere ? ut aromata , & margaritas comparet : cur ista comparare ? ut cariùs in Europa vendat : cur cariùs vendere ? ut dives fiat : cur dives fieri ? ut bene sibi sit : cur bene sibi esse ? ut gaudeat , lætamque vitam agitet : cur lætari , & gaudere ? hinc tacebit , putabitque , id stultè quæri , cum per se notum sit , nullamque aliam causam habere possit , quod omnium humanarum operationum est prima , & ultima causa ; sicut enim nemo hominum est , qui non velit bene sibi esse ; ita nemo , qui non velit gaudere , hoc enim ex illo sequitur . Volunt alii hoc delectationis , & gaudii perenne desiderium infirmitatem esse ex culpa originali natam , sicut infirmitas Leonis est , semper feбри , siti que ardere . Alii ex densa quadam , tetraque fuligine cor humanum obsidente , quæ nisi dilatatione cordis ventiletur , evoletque , hominem suffocet ; hanc verò dilatationem gaudio fieri , ut experientia testatur , docetque eleganter S. Thomas 1. 2. q. 3. a. 1. Alii , quòd voluntas non possit satis fortiter , intenseque velle , quantum videlicet ad operandum sufficiat , nisi movente aliquo delectabili ; sicut nec oculus satis videre , nisi movente aliquo lucido ; nec intellectus satis firmiter assentiri , nisi movente principio aliquo evidenti : hoc ergo esse bonum delectabile voluntati , quod venatico canis odorem feræ , quo solo inter tot alios aromatum , florumque odores ad insequendum , currendumque abripitur , cum id , quod agendum est , ceperit non latere , nisi etiam delectet , & ametur ; non agitur

tur, non suscipitur, inquit, Augustinus Libro de Spiritu, & Littera cap. 3. Sed vera hujus rei causa est, quòd hominis voluntas velle non possit, nisi aliquod bonum: consecutio verò boni causa est gaudii, ut videre est apud S. Thomam 1. 2. q. 31. a. 1. Sed cum omne bonum creatum nullo modo satiari, aut implere possit infinitum hominis desiderium; (omnia enim bona creata guttæ tantum sunt immensi illius boni, cujus anima capax est; gutta verò magnam sitim non satiat, sed potius auget) hinc est perpetuus ille gaudendi æstus, voluntate alia semper, & alia cupiente, & in orbem eunte, cum nec obtempa satient, & in novis meliora sperentur. Audi Augustinum Lib. 4. Confess. cap. 11. *Ecce illa discedunt, ut alia succedant, & omnibus suis partibus constat infima universitas Quidquid per carnem sentis, in parte est, & ignoras totum, cujus hæ partes sunt, & delectant te tamen: sed si ad totum comprehendendum esset idoneus sensus, vellet, ut transfret, quidquid in presenti existit, ut magis tibi omnia placerent; nam & quod loquimur, audis, & non vis utiq; stare syllabas, sed transvolare, ut aliæ veniant, & totum audias; plus enim delectant omnia, quàm singula, si possunt sentiri omnia.* Vide etiam Angelicum Doctorem 1. 2. q. 32. a. 2. ubi ostendit, motum esse causam delectationis. Ex hac etiam gaudendi cupidine sequitur, ut cum voluntas habere vera bona non possit, quibus gaudeat, fallacia vel imaginando, vel sperando fingat, eo ferè modo, quo cum Imperatorem videre non licet, ejus tamen imagine, aut statua delectamur; & cum dormienti palatia, convivium, & læta occurrunt, si expergiscaris, somnium iterum cupis, ac jucunda illa, quamvis ficta redire. Sic in theatris nemo ignorat, falsa esse, quæ luduntur, & tamen placent. Idem de bonis speratis; ista enim cum absentia sint, & incerta, multò majorem libertatem animo relinquunt, ea sibi persuadendi, fingendi que, quæ oblectent; & cum omnia simul, ac velut densato agmine speranti occurrant, multò sæpè, fortius que animum movent, quàm præsentia, & exhibita, quippe plerumque aut minuta, aut infra votum; ut reverà mortalem vitam æstimanti appareat, plus sperando futura, & falsa, quàm præsentia, & vera possidendo homines lætari. Vide S. Thomam 1. 2. q. 32. a. 3.

Cæterum non tantum de corporalibus, verum etiam spiritualibus bonis gaudium esse, imò istud longè majus, & intensius nasci, dubium non est, idque experientia patet; quis enim non malit cæcus, quàm brutum esse, hoc est oculo, quàm intellectu carere? at

oculos corporeæ, intellectus spiritualis delectationis instrumentum, & minister est; quod verò plures corporeis delectentur, vitium est, non natura. Vide S. Augustinum *Lib. 14. de Civitate Dei cap. 14.* & S. Thomam *1. 2. q. 31. a. 5.* ubi: *Si comparentur delectationes intelligibiles spirituales delectationibus sensibilibus corporalibus, sic secundum se, & simpliciter loquendo delectationes spirituales sunt majores. Et hoc apparet secundum tria, quæ requiruntur ad delectationem, scilicet bonum conjunctum; & id cui conjungitur, & ipsa coniunctio: Nam ipsum bonum spirituale est majus, quàm corporale bonum, & est magis dilectum, cuius signum est, quod homines etiam à maximis corporalibus voluptatibus abstinere, ut non perdant honorem, qui est bonum intelligibile. Similiter etiam ipsa pars intellectiva est multò nobilior, & magis cognoscitiva, quàm per sensitiva. Coniunctio etiam utriusq; est magis intima, magisq; perfecta, & magis firma. Intimior quidem, quia sensus sistit circa exteriora accidentia rei, intellectus verò penetrat usq; ad rei essentiam. Perfectior autem, quia coniunctioni sensibilis ad sensum adiungitur motus, qui est actus imperfectus; unde & delectationes sensibiles non sunt totæ simul, sed in eis aliquid pertransit, & aliquid expectatur consumandum, ut patet in delectatione ciborum, & sonorum: sed intelligibilia sunt absq; motu, unde delectationes tales sunt totæ simul. Est etiam firmitior, quia delectabilia corporalia sunt corruptibilia, & citò deficiat, bona verò spiritualia sunt incorruptibilia, & ideo dicit Philosophus *10. Ethicorum cap. 7. & 8.* quod maxima delectatio est secundum operationem sapientiæ. Cùm ergo tanta sit hominibus gaudendi cupiditas, ut malint non vivere, quàm vitam degere omnis profus delectationis expertem; sicque tota peccati illecebra sit dulcedo, & oblectatio peccandi: tota verò difficultas virtutis, quod non delectet; hinc est, ut juxta constantem, ac millies repetitam S. Augustini sententiam, tota gratiæ triumphatricis virtus, & efficacia in eo posita sit, ut ostendat, & delectet, sicque peccandi dulcedinem aliã, majorique dulcedine vincat. Infinitus sim, si omnia ex Augustino producam; unum tantùm, alterumve sufficiat: Nam *Lib. 2. ad Bonifacium cap. 9.* Ipse est, inquit, cui fideliter, veraciterq; cantatur: *prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: & quid hic aptius intelligitur, quàm ipsa cupiditas boni? tunc enim bonum concupisci incipit, cùm dulcescere incipit. Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, quæ fit in nobis, ut nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus, quod præcipit nobis, in*
*qua**

qua si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. Et in illa Joan. 6. Erunt omnes docibiles Dei. Videte, quomodo trahat Pater, docendo delectat, non necessitatem imponendo: ecce quomodo trahit: erunt omnes docibiles Dei, trahere Dei est. Et Tract. 26. in Joan. Magna gratiæ commendatio, nemo venit ad Patrem, nisi tractus; quomodo ergo voluntate credo, si trabor? ego dico: parum est voluntate, etiam voluptate traheris: quid est trahi voluntate: delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, est quadam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cælestis. Porro si Poëta dicere licuit: trahit sua quemq; voluptas; non necessitas, sed voluptas; non obligatio sed delectatio; quanto fortius nos dicere debemus, trahi ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitiâ, delectatur sempiternâ vitâ? An verò habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur à voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, unde dicitur: torrente voluptatis deliciarum tuarum potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ? Da amantem, da desiderantem, da in ista solitudine peregrinantem, atq; sitientem, & fontem æterna patriæ suspirantem, da talem, & scit, quid dicam; si autem frigidus loquar, nescit, quid loquor. . . . Ista ergo revelatio, ipsa est attractio: ramum viridem ostendis ovi, & trahis illam, nuces puero demonstrantur, & trahitur; & quod currit, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista, quæ inter delicias, & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est: trahit sua quemq; voluptas; non trahet revelatus Christus à Patre? Quid enim fortius desiderat anima, quàm veritatem? Et Lib. 2. contra Faustum cap. 28. Si enim nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Et Serm. 17. de Verb. Apost. cap. 3. elegantissimè hæc habet: Amanda est iustitia, & in hac iustitia amanda gradus sunt proficientium. Prius est, ut amor iustitiæ præponatur omnibus, quæ delectant. Quid est, quod dixi? ut inter omnia, quæ delectant, plus te delectet ipsa iustitia; non ut alia non delectent, sed prius ipsa delectet. Iustitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes. Constituamus ante oculos exemplum certaminis. Interrogo, utrum ames iustitiam? respondebis, amo; quod non responderes veraciter, nisi te aliquatenus delectaret; non enim amatur, nisi quod delectat; delectare in Domina, Dominus autem iustitia est. Non enim tibi fingere debes Deum, quæ si idolum, quod vides. Invisibilibus similis est Deus, & ea, quæ in nobis

bis sunt meliora quæ sunt invisibilia . Melior est fides , quàm caro ; melior est fides , quàm aurum , quàm prædia , quàm familia , & ista omnia videntur , fides non videtur . Habes duos servos , unum deformem corpore , alium pulcherrimum ; sed illum deformem fidem , alterum infidelem . Dic mihi , quem plùs diligas ? & video te amare invisibilia , quid enim , quando plùs amas servum fidem , licet corpore deformem , quàm pulchrum infidelem , an errasti , & facta pulchris præposuisti ? utiq; non , sed pulchriora factis præposuisti . Interrogasti oculos carnis , & quid tibi renuntiaverunt ? ille pulcher est , ille factus : repulisti eorum testimonium , & præposuisti servum fidem , & non servum pulchrum . Quid fide pulchrius ? quid infidelitate deformius ? ergo præ omnibus voluptatibus , hoc est , delectationibus etiam licitis amanda est justitia . Ecce delectat te aurum tuum , oculos tuos delectat ; metallum enim est pulchrum , fulgentissimum ; non nego : nam si pulchrum negavero , Creatori injuriam facio . Venit ergo tentator , & dicit tibi : tollo tibi aurum , nisi dixeris falsum testimonium , si autem dixeris , addo tibi . Decertant in te duæ delectationes ; modo te interrogo , quid præponas , quid te plùs delectet , aurum , an veritas , aurum , an verum testimonium ? Longum est , per singulos corporis sensus excurrere , sed quod de oculis dixi , hoc de cæteris intelligite , & præponite delectationi carnis delectationem mentis : Carnem quippe vestram delectant illicitæ voluptates ; mentem vestram delectet invisibilis , pulchra , casta , sancta , canora , dulcis justitia , ut non ad eam timore cogamini ; si enim ad eam timore cogimini , nondum delectat ; peccare non debes , non timore pœnæ , sed amore justitiæ . Quando enim peccabatis , & delectabamini in peccatis vestris , timor vos adducebat ad peccandum , an suavitas peccati ? respondebitis suavitas . Ergo ad peccatum suavitas adducit , & ad justitiam timor impinget ? probate vos , inspicite vos , tollat aurum , qui minatur , suavior est justitia , lucidior est justitia . . . Sic ergo , sic amanda est justitia , quomodo amata est iniquitas ? absit , ut sic , sed & utinam vel sic . Ergo plùs ? plùs omnino . In iniquitate secutus es voluptatem , pro justitia tolera dolorem , & hoc est plùs . Parum est , ut contemnas , quidquid te delectabat , contemne , quidquid terreat , contemne carcerem , contemne vincula , contemne mortem , hæc vicisti , & justitiam invenisti . In utroq; gradu amatores justitiæ vos probate . Invenimus forsitan aliquos , qui præponant justitiæ delectationem ; qui autem pro illa pœnas , dolores , mortemq; contemnant , putas est aliquis in vobis ? omne gaudium existimate Fratres , cum in tentationes varias incideritis : quid

addi potest, ut opus perfectum habeatur? amat, ardet, fervet, calcat omnia, quæ delectant, & transit: venit ad aspera, horrenda, truculenta, minacia; calcat, frangit, & transit: ô amare! ô ire! ô sibi perire! ô ad Deum pervenire! sic armandus est amator justitiæ, sic armandus est amator invisibilis pulchritudinis. Sed prius Fratres mei plangite, quod eratis, ut, quod nondum estis, esse possitis, hoc enim, quod loquor, magnum est. Et unde nobis magnum, unde nobis? audite: omne datum optimum, & omne datum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum. Inde est, quod nondum habemus bonum; non habetis? petite, & accipietis. Examinet se ergo omnis homo, & quidquid in se boni invenerit, quod pertineat ad justificationem nostram, agat gratias illi, qui dedit, & ab illo petat, quod nondum dedit. Non enim tu in proficiendo proficis, & ille in deficiendo deficit; quantunlibet capaces fauces, capacem ventrem afferas, fons vincit sitientem. Et denique ad Simplicianum Lib. I. q. 2. Quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo complectitur aliquid, quod eum non delectat? aut quis habet potestatem, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet, cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant; quibus proficimus ad Deum, inquiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu nostro, aut industriâ, aut operum meritis comparatur.

Ex his omnibus Augustini testimoniis clarissimum est, nullam aliam ab eo gratiam effectricem cognitam esse, quàm quæ illustrando, & delectando intellectum simul, & voluntatem expugnet; idque jure merito: Cùm enim homo, ut peccare velit, aut ignorantiam, aut dulcedine creati alicujus boni adducatur, gratia, quæ facit, ut peccare non velit, non aliter id assequi potest, quàm ignorantiam contraria luce, voluntatem contraria voluptate vincendo, agendoque, ut appareant, quæ prius latebant, ut delectent, quæ prius non delectabant; sic enim tota radice, & illecebrâ peccati sublatâ, ignorantiam videlicet æterni veri, ac amore fallacis boni, tam non potest esse voluntas peccandi, quàm non potest effectus esse sublatâ causâ. Quæ tamen non ita intelligenda sunt, quasi suavitas, & delectatio illa, quam gratia inspirat, omnem penitus aut in voluntate, aut in appetitu sensitivo difficultatem, & repugnantiam delet: sicut enim non ideo dantur militi arma, ut nullum hostem, aut pugnam habeat, sed ut pugnando hosti prævaleat; ita gratia non ideo homini datur, ut om-

ni difficultate careat, sed ut ipsam difficultatem superet, luctando-
 que coronam mereatur, hoste quidem victo, sed nunquam planè de-
 bellato juxta illud Apostoli ad Rom. 7. *Condelector quidem Legi Dei
 secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris
 meis repugnantem legi mentis meae. Infelix ego homo, quis me libera-
 bit de corpore mortis hujus? gratia Dei per JESUM Christum Domi-
 num nostrum.* Hæc ergo est illa gratia, quam Augustinus mirabi-
 bilem, ineffabilem, efficacissimam, invictam, omnipotentissimam,
 indeclinabilem, insuperabilem, triumphatricem, & denique, ac fre-
 quentissimè congruam appellat; hoc est, talem, tamque flectendæ
 voluntati accommodatam, ut nunquam non flectat, & vincat, siue,
 ut ipse loquitur: *quæ facit de nolente volentem, quæq; à nullo corde
 respuitur.* Neque id mirum videri debet; voluntas enim non ap-
 petit nisi aliquod bonum; neque fugit, & averfatur, nisi aliquod ma-
 lum, si ergo impudico proponatur castitas non solum ut bonum, sed
 etiam ut magnum bonum, magnisque præmiis donandum, nec cum
 Dei auxilio difficile (ut reverà non est) impuritas verò non solum
 ut res vana, breviq; cessatura; verumetiam ut maximum malum,
 & gravissimis pœnis cum æternis, tum temporalibus obnoxium; vo-
 luntas hanc averfabitur, quia propositam instar maximi mali; illam
 verò amplectetur, quia propositam instar maximi boni: hoc enim
 est voluntati bonum, & malum, quod lanci majus, minusq; pon-
 dus; sicut ergo majus pondus lancem ad se trahit, ita majus bonum
 voluntatem: nam quod voluntas pro sua libertate minus bonum
 majori præponat, ideo est, quia majus bonum non considerat (quæ
 ipsis quoque Angelis causa peccandi fuit, teste Angelico Doctore)
 considerat verò minus bonum, quippe & à sensibus, & à pravīs ha-
 bitibus, & ab experientia, & à potentia imaginativa pictrice om-
 nium maxima vivacissimè propositum; sicut ergo parva scintilla
 magis urit; quàm magnum incendium, non quia major, sed quia vi-
 cinior; ita aliquod bonum sæpe voluntatem plus movet, non quia
 majus, sed quia notius. Si ergo Deus bonum honestum tam clarè,
 cumq; omnibus illecebris, & deliciis suis voluntati obiciat, ut
 sensus appetitui solet, dubium non est, amaturam voluntatem, & in
 amplexum ruituram. Et hæc est gratia, de qua loquitur Augusti-
 nus, ea videlicet, quæ pulchritudinem boni honesti tam affabrè vo-
 luntati depingit, ut rapiat in amorem.

Id Augustinus *Lib. de Corrept. & Grat.* eleganti exemplo Esthe-

ræ Regina ostendit, de qua cum ad Regem exorandum ingrederetur, ita loquitur Scriptura cap. 15. *Illa autem roseo colore vultum perfusa, & gratis, ac nitentibus oculis ingressa cuncta per ordinem ostia stetit contra Regem, ubi ille residebat super solium Regni sui indutus vestibus regiis, auroq; fulgens, & pretiosis lapidibus, eratq; terribilis aspectu. Cumq; elevasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, Regina corruit, & in pallorem colore mutato lassa super ancillulam reclinavit caput. Convertitq; Deus spiritum Regis in mansuetudinem &c.* Ubi observa, Reginam quamvis pulchram ornatamque, non tamen flexisse animum Regis, imò potius asperasse, quòd non vocata intrasset; flexisse autem pallidam, exanguem, & in deliquium, sinumque ancillæ collapsam; quod ergo non forma, non roseus color, non regius ornatus potuit, id pallor, & deliquium potuit; & cum Deus ad vincendum barbari Regis animum posset venustate uti, maluit languore: una ergo, eademque Regina fuit, & valida, & exanguis, sed uno modo regium animum movit, alio non movit. Idem libero arbitrio contigit, de quo Augustinus ad Simplicianum Lib. 1. q. 2. *Alius sic, alius autem sic movetur ad fidem; eademq; res sepe, alio modo dicta movet, alia modo dicta non movet, aliumq; movet, alium non movet.* Hoc ergo est voluntati bonum, quod pulchra facies videnti; trahit enim, non cogit, quia trahit amantem, sicque de nolente volentem facit. Quid minùs ad amandum dispositum erat, quàm Assueri animus furore incensus? amavit tamen pulchra facie ex adverso micante, ac instar Solis tanto dulciùs flagrantis, quantò propiùs occasum. Si ergo tanta vis pulchritudini creatæ, cur non major increatæ, si voluntati quantumvis aversæ offeratur? An quod potest scintilla, non possit incendium? nam revera nihil aliud est forma creatæ, quàm scintilla increatæ. Verum quidem est, unam, eademq; veritatem, unum, idemq; bonum jam valere, jam non valere inflammando amori; imò sæpe minus bonum efficere, quia meliùs propositum, quod majus non potuit; sicut in humano vultu minus pulcher est pallidus, quàm roseus color, & tamen in placando Rege ille prævaluit; quid ergo mirum est, idem quoque in vertenda voluntate contingere, Deo ita faciem veri, bonique ostendente, ut placeat, & vincat? De Cleopatra refert Historia, tantùm ejus formæ lenocinium fuisse, ut neminem intuëntem non caperet, & ideo non aliter cum illa Augustum, quàm dejectis in terram oculis locutum esse. Quid de Phryne Græcarum formosissima dicam, quæ
capi-

capitis damnanda, cum flammeum removisset, quo faciem velaverat, aded Judicum animos pulchritudine rapuit, ut omnium votis absolveretur? Et de Helena refert Aristoteles *Lib. 2. Ethic. cap. 9.* Sæpe à Trojanis de illa Græcis restituenda in Senatu decretum esse, sed quoties causam dictura Prætorium intrâset, aded illius venustate omnium animos perculos esse, ut mutatâ sententiâ extrema pati, quàm reddere illam mallent. Si ergo in commovendis, versandisque in omnem partem animis tanta vis est creatæ formæ, quanta erit formæ increatæ? quod potuit lutum, non poterit Cœlum? quod potuit Helena, non poterit gratia, cum tamen, ut optimè dixit Augustinus: *incomparabiliter pulchrior sit veritas Christianorum, quàm Helena Græcorum?* Unicornem quamvis indomitum visa Virgine mansuescere, & in genua procumbere, Elephantem naturâ mitem aspectu purpuræ in rabiem agi, vertique in fugam certissimum est. Quid ergo mirum, aliquid esse, quod etiam voluntatem, si ostendatur, certissimè in aliam mutet? ostendere verò ad gratiam pertinet.

Quid de cantu, & Musica dicam? Quanta illi in ciendis, vendisque affectibus potentia est? Alexandrum jam in furorem, jam in socordiam, utcumque vellet Timotheus cantu agebat. Saulus cytharæ lusu mœrore, & insaniâ levabatur. Theodosium Magnum Antiochenos delere parantem, quòd ejus statuas evertissent, Flavianus Episcopus aded cantu demulsit, ut convivanti lacrymæ in poculum caderent, juberetque continuò rebellibus parci. De se ipso Augustinus lib. 9. Confess. cap. 6. *Quantùm flevi in Hymnis, & Canticis tuis suavè sonantis Ecclesie tue vocibus commotus acriter? Voces ille influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea astuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Sed omnia superat, quæ de Erico II. cui nomen boni, Daniæ Rege Olauus Magnus, Crantius *Lib. 5. Daniæ,* & Saxo Grammaticus *Lib. 12.* narrant. Verba Saxonis sunt: *Apud Ericum cognomine bonum Daniæ Regem, Citharædus quidam hæud ignobilis admirabiles, & propè stupendos artis suæ commendabat effectus, maximeq; illud ipsum, quod in humanos sensus, mentesq; obtineret imperium. Rex verborum novitate percussus, qui neq; tantam vim musicae arbitraretur, continuò hominem artis suæ specimen edere jubet, & torpentes animos ad furorem Martium, si posset, accendere. Annuit ille, & nequa nocendi ansa daretur, arma omnia ex aula efferri præcipit, Custodesq; in atrio collocari, quo furentes, si qui fortè in*
insa-

insaniam agerentur, compescerent. Dicitur, factum. Tum illâ, quâ plurimum pollebat, cantandi peritiâ primum quidem inusitata severitatis concentum edidit, quo stupore quodam, & merore omnium, quotquot aderant, Auditorum mentes cernebantur oppressæ. Deinde aded suaves, & mellitos cantus effudit, ut toti jactatione corporis intemperantem proderent letitiam. Tandem verò ubi acrioribus modulis intonare cepit, continuò totis tectis fremere, tumultuari, arma, & gladios inclinare. Nec mora, accurrunt Custodes, ut Regem cum aliis furentem contineant. Sed ille effractis atrii foribus, arrepto ense quatuor transfodit, & ut actus in rabiem taurus totis bacchatur adibus. Fix tandem pulvinarium, & lectulorum mole undiq; oppressus contineri potuit. Postquam menti restitutus est, relicto Procuratore Regni Filio Jerosolymam expiandorum homicidiorum per pios cruciatu gratiâ profectus est, atq; in Cypro defunctus. Quod si quæras, unde in animi affectus tantum Mulicæ imperium? dari alia ratio non potest, quàm soni, aërisque per sonum concitati ad spiritum animale proportionem, quidamque Magnetismus, & occulta Sympathia; juxta enim proportionem soni, aërisque vibrati, necesse est, moveri phantasiam, humoresque corporis, aut crispari, aut densari, aut rarefieri, accendi que ex motu verò phantasiæ, humorumque, ac præsertim spiritus animalis agitatione alios, aliosque affectus in anima concitari: nam, ut ait Augustinus lib. 10. Confess. cap. 33. Omnes affectus spiritus nostri pro sui diversitate habent proprios modos in voce, atq; cantu, quorum nescio qua occulta varietate excitantur. Et Athanasius Kircherus in sua Mulurgia lib. 7. fol. 552. Latent in singulis rebus proportionem quadam, quarum concursu omnes rerum exoticæ operationes consciuntur, quarum proportionum si quis perfectè rationem nosset, is haud dubiè maxima naturæ miracula in suscitandis animi passionibus vi musica efficere posset: si quis igitur harmoniam accommodare posset, ut spiritus eodem prorsus modo, quo harmonici numeri moverentur; is intentum effectum produceret haud dubiè.

Si ergo in mollienda, flectendaque voluntate tanta vis cantus, quantum major vis gratiæ? Et si ad eam superandam tantum valet proportio soni, quantum magis valebit proportio, & cognitio boni, quod proprium illius obiectum est? An verò poterit peritus musicus reperire sonum, quo certissimè affectum moveat, & non poterit Deus reperire obiectum, quo certissimè voluntatem in aliam mutet? Aut anima magis cantui subditur, quàm veritati?

Paria de vi, & efficacia persuadendi, hoc est, eloquentia occurrunt: Possunt enim argumenta aliqua tam clara esse, tantaque facundia proponi, ut continuè & intellectum, & voluntatem capiant, subdantque; veritati: ut bene de Eloquentia cecinerit Horatius lib. 3. Ode 11

*Tu potes Tigres, comitesque silvas
Ducere, & rivos celeres morari,
Cessit immanis tibi blandienti*

Janitor Aulae.

*Cerberus, quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter, saniesque, manet*

Ore trilingui.

Et Tullius Lib. 2. de Orat. *Tantam vim habet omnium Regina rerum Eloquentia, ut adversantem, & repugnantem, quò velit, inducat, deducat, unde velit.* De Cleopatra Ægypti Regina narrat Dion lib. 42. *Tantum in ejus verbis fuisse leporem, ut quisquis illam loquentem audiret, amore concideret.* Scribit Laërtius, Palæmonem solutissimis moribus juvenem aliquando semiebrium, meretricio cultu, floribus, & unguentis sparsum Scholam irrupisse, dum Xenocrates de Temperantia diceret: sic verò illius argumentis, & eloquentiâ captum, ut delitiis, amoribus, ornatuque posito aded pudicus, sobrius, sibi que dissimilis evaderet, ut passim ab omnibus ob morum gravitatem *Tonus Doricus* audiret, & ne à cane quidem rapido morsus vultum, aut colorem mutaret. Simile aliquid de Diogene refertur: cum videlicet Juvenem quendam obvium habuisset ob recentem in Ludis Olympicis victoriam triumphantem, palmâ, coronaque insignem, ac ingenti plaudentium turbâ circumfusum, quæ ovantem deducebat, interrogasse: quæ tanti apparatus, & causa tripudii? eoque respondente, ob florem Græcæ Juventutis à se in lucta superatum; Diogenem intulisse: quos ergo vicisse te gloriaris; fortiores, pares, an imbecilliores te viribus erant? non fortiores, aut pares; alioquin victi non essent; imbecilliores ergo: at vicisse imbecilliores, quæ tandem gloria est, aut quis non possit? quin potius omiſſa hac virium pugna, quibus te bestia vincunt, quasque & morbus, & senium carpent, ad sapientiam, moresque componendos te vertis, perpetuâ tui gloria, & bono? Nec mora, pudore suffusum juvenem palmâ, coronâ, turbâque omiſſis Philosophum induisse. Scribit in Atticis Bellariis *Pontanus par. 2, cap. 16.* Fuisse Chinesem, qui
Regi

Regi suo persuaserat, repertum à se pharmacum, quo fieret immortalis; poculum verò in Aulam allatum quendam ex Amicis involasse, haussisseque, quem cum Rex nudato ferro invaderet, hoc Dilemmate furentem stitisse: aut, inquit, potio illa immortalem facit, aut non facit? Si facit, frustra mihi necem intentas; si non facit, ergo deceptus es, nec mortem mereor, qui te hac fraude liberavi. Tam clara visa argumentatio, ut ferrum Princeps reponderet, dolumque intelligeret. Missi à Menia Milites, qui Antonium cæderent, cum jam gladios strinxissent, vibrassentque, aded illius oratione fracti, ut sideratis, ac stupentibus similes re infecta ad suos redirent. Si ergo in ducenda,volvendaque voluntate tanta vis est verbo humano, quanta erit Verbo divino? potest Philosophus verba, & argumenta reperire, quibus intacta libertate voluntatem pleno cursu ruentem, non tantum sistat, verumetiam in oppositum vertat, & non poterit Deus? Plus dabimus Oratori, quam Creatori? plus verbo in aure, quam in mente sonanti? Nihil ergo aliud est triumphatri^x ista gratia, de qua loquimur, quam oratio, & Rhetorica Dei humanam voluntatem alloquentis, & alloquendo in quamcumque partem voluerit, persuadentis. Nec mirentur, si dicimus, posse Deum argumenta, & rationes invenire, quibus certissimè quamcumque etiam obluccantem voluntatem expugnet, cum id Diogenes, Tullii, Antonii, Cleopatraz, Xenocrates, aliique potuerint. *Liquefacta est anima mea, cum dilectus locutus est*, inquit aliqua, quæ amat: hoc ergo est cordi duro Verbum Dei, quod metallo est ardor ignis: liquecunt igni metalla, & non liquecunt corda Dei Verbo? Fac ærea, fac adamantina esse, ad hunc ignem solventur. Quòd si in magno hoc Mundo dicente Deo facta sunt omnia, nihil novi, aut insoliti est, si dicamus, etiam in Mundo minori, hoc est, homine, dicente Deo, fieri omnia. Quid qualitates prædeterminantes, hoc est, quid arietes, & machinas, & vocabula quærimus, nec in Scripturis, nec in Patribus audita quatiendæ ac debellandæ voluntati, cum pro omnibus machinis unum Dei Verbum, nutusque sufficiat? Dixit: *fiat lux*, & facta est lux; *fiat Cælum*, *fiat Mare*, factumque est Cælum, & Mare: cur non etiam dicente illo, fiat in voluntate amor, non fiet amor? fiant lacrymæ, fiat castitas; non fient lacrymæ, & castitas? Ergo ut aliquando concludam: Deus, qui dicendo fecit Mundum ex nihilo, dicendo quoque facit justum ex peccatore (nam & peccatum nihil est) & hoc ipsam ita dicere, ut fiat, est gratia

tia Dei, quam prædicamus, & quam semper docuit Augustinus; qui verò aliter explicant, aliterque sentiunt; pace illorum dixerim: nec satis cum Augustino conveniunt, nec tantum Deo in anima loquenti tribuunt, quantum Dei verba merentur. Fixum ergo, ratumque sit, nihil aliud ex sententia Augustini gratiam effectricem esse, quam *cognitionem congruam*, hoc est, quæ tale, tamque proportionatum objectum, taliq; modo proponat, ut ad illud amplectendum voluntas Magnetismo, & Sympathiâ quadam certissimè moveatur. Nulla igitur tam fortis, & adversa, aut ex vitio, aut ex natura inclinatio, nulla vis inolitæ consuetudinîs, quæ victrici huic gratiæ non planè succumbat, sive confestim, unoq; velut impetu, ut in Paulo, & Magdalena; sive, ut plerumque contingit, paulatim, & longo velut bello voluntatem submittat. Si enim domari arte, contraque naturam Uros, Leones, aspides videmus; quis dubitet, posse domari gratiâ etiam voluntatem quamvis averfam, & repugnantem? An verò plus arti, quam gratiæ dabimus? quæ tamen & ipsa nihil aliud est, quam ars quædam Dei providentis. Quòd si nemo tam avarus est, qui non furto absteineat metu præsentis Judicis, & à quo supplicium præsens expectet; nemo tam impatiens amoris, qui non temperet, si corruptam peste, aut leprâ amicam intelligat; nemo tam inimicus, qui non vindictam omittat, principe ipso rogante, & Regnum pollicente; si nulla, inquam, cupiditas est tam magna, & præceps, quæ majori spei, aut metui non cedat; quantum magis nulla cupiditas, nulla consuetudo, nullumque vitium erit, quod timori omnium maximi, & certissimi mali, ac spei omnium maximi, & certissimi boni non continuò cedat, gratiâ utrumque & validissimè intellectu proponente? Hæc ergo est gratia illa victrix, quam, ut cordis humani potiatur, impedire nihil potest, & de hac dictum est: *Nihil est, quod tua possit resistere voluntati, si salvare dixeris Israel.* Ester 13.

II. *Dices*: Voluntas hominis est intrinsecè, ac physicè impotens ad actum supernaturalem, v. g. amoris, veræque contritionis: at per solam propositionem objecti, sanctasque inspirationes & illustrationes (quæ tantum moraliter movent) non potest physicè fieri potens; debet ergo fieri talis non solum per objecti propositionem hæcenus à nobis explicatam; sed per aliquam qualitatem ordinis supernaturalis (in iis præsertim peccatoribus, qui habitum charitatis necdum adepti sunt) quam qualitatem Theologi *physicam prædeter-*

minationem vocare solent. Rursus bonitas objecti, quamvis infiniti, quamvis clarissimè, ac vivacissimè propositi, extra visionem beatificam voluntatem relinquit indifferentem, & indeterminatam ad amandum, & non amandum; debet ergo præter cognitionem objecti aliud principium effectivum admitti, à quo determinetur; neque enim dici potest, voluntatem indeterminatam à se ipsa determinari; cum enim ea determinatio sit res creata, debet subordinari, & dependere à causa prima, ejusque influxu, non tantum in genere naturæ, & potentiaè verumetiam in esse agentis, & quoad ipsam actualem causalitatem.

Resp. Nec nobis, nec aliis quibuscumque rem bene, citraque affectum, ac privatum in partes studium consideranti hanc explicandi gratiaè efficacia rationem probari posse. *Primo* enim quæro, an in S. Augustino hanc qualitatem prædeterminantem aliquando repererint, aut non repererint? si repererunt; locum aliquem Augustini ostendant; at nunquam ostenderunt, nunquam ostendent. Si verò nunquam repererunt; quæ rogo fiducia est, in explicanda natura gratiaè scire aliquid melius velle, quàm sciverit Augustinus? aut velle quæ- rere & invenire, quod tanto studio, tanto ingenio, tantaque oratione nunquam Augustinus invenit? Quod argumentandi genus multò validius contra illos est, qui tantoperè Augustino gloriantur, nec patiuntur aliquid in hac causa dici, non ab Augustino acceptum. Nec opponant, gratiam efficacem ab Augustino *omnipotentissimam, invictissimam, indeclinabilem* &c. vocari, quæ elogia non videntur cadere in causam merè, uniceque moralem: Nam suppositum, quo nituntur, incertissimum est; quàm multi enim etiam ex nobilissimis Thomistarum sunt, qui docent, ab objecto, eiusque oblata bonitate non moraliter tantum, sed etiam physicè moveri voluntatem, ut oculus à colore, ejusque speciebus, utque in Divinis Verbum physicè spirat amorem? *Deinde*, quid opus rixis, & cavillationibus est; cum ipse Augustinus verborum suorum optimus interpres, toties ac tam disertè mentem suam explicaverit, eo videlicet modo, quem ex clarissimis, & quàm plurimis ejus testimoniis supra ostendimus. Vocat ergo *omnipotentem*, non eo sensu, quem Gonetus, aliique obtendunt; sed quia omnia potest: *invincibilem*, quia omnia vincit: *indeclinabilem*, quia omnia superat: *triumphatricem*, quia omnia expugnat. *Secundo*. Qualitas illa prædeterminans tot difficultatibus implicatur; ut facilius Nodum Gordium, quàm illas exsolvas, ut
 pas-

passim apud Theologos videre est. Sicque *Ænigma Prædestinationis* alio *Ænigmati* non tam explicant, quam obscurant, *Ænigma* enim *Ænigmati* additum, sicut obscurum obscuro additum, non facit rem clariorem, sed facit magis obscuram, ut taceam alia mille, quæ ne à doctissimis quidem hæcenus intellecta sunt, & nec forsan ab eorum Auctoribus.

Nec obstant, quæ opponuntur: Voluntas enim multis modis citra physicam prædeterminationem fit physicè potens ad operandum, nam quoad *specificationem*, hoc est, ut potius amet, quam odio habeat, redditur potens, & determinatur à bono, & objecto supernaturali, quod per suas species in voluntatem agit, inclinaturque instar ponderis. Rursus fit potens per concursum simultaneum; sicut equus fit potens ad trahendum currum per rotam, sine qua equus non posset; jam verò suprà notavimus, hoc esse gratiam voluntati, quod rotam, & machinam currui. Denique, & principaliter, ad actus supernaturales fit voluntas potens per voluntatem illam, & Decretum Dei æternum quidem, sed in tempore operans, quo Deus vult hîc, & nunc voluntatem Petri potius amare, quam non amare. Hoc verò est illud stabile, fixumque Dei propositum, quod toties Apostolum, & Augustinum legenti occurrit. Quod Decretum licet formaliter indifferens, quippe liberum, & causa actus liberi, est tamen eminenter, & virtualiter determinatum, & ideo potest esse causa effectus determinati, nam quod est eminenter tale, idem potest, quam quod est formaliter tale. Ita Sol eminenter calidus æquè manum calefacit, ac etiam objectum corpus inflamat, ac ignis, qui est formaliter calidus: & lux eminenter colorata æquè objectum colorat, & tingit (ut in nubibus, & iride, vitroque trigono videre est) ac cocus, & cinabarum, quæ sunt formaliter colorata. Idem dicas de voluntate humana, quæ licet omnibus omnino tam ex parte objecti, quam ex parte Dei spectatis sit formaliter indifferens, quippe libera, est tamen eminenter, & virtualiter determinata, cum se ipsam determinare possit; utpote suorum actuum Domina; potest ergo ab illa quamvis indeterminatâ effectus determinatus prodire: Si enim à principio non calido potest calor procedere, & à principio non colorato potest effectus coloratus; cur non à principio indeterminato effectus determinatus? Cùm ergo quæris, quis determinet voluntatem indeterminatam? Respondeo; ipsam voluntatem, dependenter tamen à Causa prima, à qua

& virtutem se determinandi accepit, & concursum quoque simultaneum, & consequenter à qua non tantum quoad esse, verumetiam quoad operari dependet. Si ergo voluntas hominis, ejusque determinatio, & operatio à primo Operante, primaque Causa dependet, ei que subordinatur; cessant omnia absurda, quæ huic nostræ sententiæ opponuntur; nihil enim aliud à Causa secunda exigi potest, quàm ut in esse, & in operari; in ipsaque sui determinatione à Causa prima dependeat, quamvis à Causa prima non prædeterminetur: præsertim si consideres, in voluntate operante nihil esse, quod non verè, proprièque causetur à Deo. In voluntate enim, cum v. g. amat, nihil aliud est, quàm potentia voluntatis, & ipse actus amoris, qui actus solus voluntatem determinat, (nec datur media alia determinatio inter actum, & voluntatem, ut aliqui sibi imaginantur, alioquin eundem esset in infinitum) at tam ipsa voluntas, quàm ipse actus voluntatis à Deo est, tanquam à causa: concursus enim simultaneus est vera causa amoris, omniumque actum, qui à voluntate procedunt. Et planè voluntatem à nullo alio, quàm à se ipsa determinari (dependenter tamen à causa prima, ut modò explicatum est) apertissimè docet S. Thomas. Sic enim loquitur in 2. Distinct. 39. quæst. 1. art. 1. *Ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura, sed quod determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinatè, sed ab ipsa voluntate.* Et q. 3. de Malo art. 3. ad 3. *Voluntas cum sit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum, scilicet per consilium rationis, nec oportet, hoc esse per aliquod agens extrinsecum.* Et 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. Ubi proposita quæstione, an voluntas moveatur à Deo sicut exteriori principio, respondet: *Deus movet voluntatem hominis sicut universalis Motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum* (tribuendo ei videlicet naturalem inclinationem, & determinationem ad solum bonum, sicut gravibus ad centrum) *& sine, hac universali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum; sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, sicut in his, quos movet per gratiam.* Vides clarissimè docere S. Thomam, excepto speciali casu gratiæ voluntatem creatam à se ipsa, non à Deo determinari. Quòd si omnino velis, voluntatem creatam ab increata determinari, moverique, istud quoque in sano sensu verissimum est: Illud enim propositum, decretumque divinum, quo
Deus

Deus voluit, ut Petrus hîc, & nunc amaret, & quo statuit, in hunc finem tales ei gratias dare, quibus ad amandum moveretur, hoc, inquam, divinum Decretum verissima causa est, ut Petrus amet, & ad amandum determinetur. Quamvis enim hujusmodi Dei Decretum sit formaliter indifferens, ideoque libertati humanæ accommodatum, est tamen virtualiter, & eminenter determinatum, & ideo potest effectum determinatum producere modo, quem paulò antè insinuavimus. Et hæc ipsa ratio est, ut in hujusmodi Decreto suo, simulque in humana voluntate velut in causa Deus futurum Petri amorem certissimè prævideat: Cùm enim Deus & suam, & hominis voluntatem perfectissimè comprehendat, comprehendit quoque, cognoscitque omnes effectus ab utraque profecturos, hoc enim ipsum est causam comprehendere, nihil videlicet in ejus sinu esse, nihil ex ea futurum, quod cognoscentem lateat, quod præsertim de intellectu infinito verum est, qui se ad omnem speciem, & conditionem veri extendit; At etiam futura vera sunt, præsertim quia si futura non cognoscerentur, ideo esset, quia non sunt præsentia; at sunt præsentia, & coëxistunt æternitati, sicut minimum centrum coëxistit toti, maximoque circulo, quæ perpetua est S. Thomæ sententia 1. p. 9. 14. a. 13. & contra Gentes cap. 67. Et alibi sæpè. Planè cùm Sacra Scriptura nihil de modo dicat, quo Deus voluntatem humanam movet, ac futura contingentia cognoscit (quod etiam fatetur Augustinus Lib. 8. in Gen. cap. 21. & alibi frequenter) dicat verò frequentissimè, milliesque repetat: *Deum velle omnes salvos fieri: relinquere hominem in manu consilii sui: expectare, ut faciat voas, & non labruscas: stare ad ostium, & pulsare, ut si quis aperiat, ad eum intret.* Cùm, inquam, ita se res habeat, mirum est, si quis contra regulam Augustini ista certissima propter illa incertissima neget. Quando ergo Angelicus Doctor alicubi dicere videtur, voluntatem hominis à Deo determinari, alibi verò contendit, non determinari nisi à se ipsa; ea ratione intelligendus est, quam modò exposuimus. Si ergo quæras, cur Decretum divinum, quod indifferens est ad amandum, & non amandum; cause potius amorem, quàm non amorem? Respondeo, idem quæri posse, cur Decretum divinum, quod indifferens est ad creandum Mundum A, & Mundum B; potius creet Mundum, A. quàm Mundum B? Causa ergo est, quia ob infinitam, & illimitatam perfectionis suæ plenitudinem voluntas divina ita formaliter est indifferens, ut eminenter sit determinata. Taceo importunam,

nam, & superfluum quæstionem esse, cum quæritur, cur voluntas divina hoc potius, quam illud velit, aut causet; hoc enim ipso, quod est causa prima, nullam aliam causam habet; & ideo tam absurdè illud quæritur, quam absurdè quæreretur, cur linea sit potius longa, quam lata, & cur centrum sit potius in medio, quam à latere circuli?

Hic etiam observandum est, Deum ad executionem Decreti illius sui, quod modò descripsimus, mutandamque hominis voluntatem, nulla qualitate opus habere, quæ voluntati inhæreat, eamque determinet, sed solo nutu, efficaciamque suæ voluntatis id totum præstare: Quæ enim mutatio major cogitari potest, quam cum Deus materiã primam tot formis cælestibus, & sublunariis ornavit, & quando lutum animã rationali, vitãque instruxit? At solo nutu voluntatis suæ, nullaque intermedia qualitate velut instrumento id fecit; quanto ergo magis eodem modo, eademque ratione mutare voluntatem poterit? Cum enim tota virtus agendi, quam tu qualitati illi attribuis, à Deo sit, & in Deo eminenter contineatur, sequitur, solum Deum sine illa præstare posse id totum, quod illa potest; sicut quia tota potestas jus dicendi in Judice delegato est à Principe delegante, sequitur, solum Principem sine omni delegato posse iudicium exercere, ac sententiam ferre, quod Theologi volunt, cum universim docent, posse Deum supplere omnem virtutem causæ effectivæ non vitalis. Mutatur ergo voluntas in genere causæ effectivæ, & à Deo, & à se ipsa in genere causæ finalis à bonitate proposita; in genere verò causæ formalis ab amore, aliove actu, quem elicit, recipitque.

II. His ergo notatis, cum supra copiosè probatum sit, gratiam petendi, orandi que nulli peccatorum negari, superest, ut ostendamus hanc ipsam orationem certissimum, & infallibile medium esse, efficacissimam hanc, & triumphatricem gratiam, præsertim verò finalis perseverantiæ à Deo impetrandi. Et quidem justos quod attingit, nihil in Sacris Litteris aut frequentius, aut clariùs exprimitur, quam eorum orationem, quoties petunt, quæ ad vitam æternam spectant, certissimò exauditum iri. Quod cum passim in Scripturis occurat, & notissimum sit, non est, ut hic fusiùs expendatur. De oratione tantum peccatoris quæstio est, de qua dicimus, si fiat, ut oportet, esse quoque efficacem, semperque exaudiri; non quidem per viam *meriti*, cum hoc dignitatem postulantis supponat; sed per viam

impe-

impetrationis, quæ solâ Dei misericordia, Christi quæ infinitis meritis nititur. Observandum tamen est, duo esse genera peccatorum: Alii enim sunt, qui nihil minus, quàm de peccatis deserendis cogitant, & instar mancipiorum, quæ libertatem pretio vendiderunt, catenas suas, & compedes amant. Istorum verò orationes non tantùm non efficaces, verùm etiam ingratas Deo esse, quippe temerarias, & impudentes, palàm est, sæpe quæ in Scripturis expressum. Quid enim inverecundiùs, quàm si beneficia, & gratias à Principe petas, quem non tantùm offendis, verùm etiam deinceps offendere statuisti, palàm quæ professus es? insultantis hæc oratio est, non postulantis: *qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus fiet execrabilis*. Prov. 28. Et Isaia 1. *Cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestrae plene sanguine sunt*. Talis fuit oratio Judæ, talis Antiochi Regis, de quo Machabæorum 9. *Orabat hic scelestus Dominum, à quo misericordiam non esset consecuturus*. Alii sunt peccatores, qui peccant quidem fragilitate naturæ, aut impetu cupiditatis velut torrente abrepti, qui & peccatum agnoscunt, & sub jugo gemunt, cupiunt quæ servitutem, & catenas exuere, nec tamen possunt; & ideo divinum auxilium, & gratiam constanter implorant, quorum oratio illa est, quam dicimus, à Deo infallibiliter exaudiri.

IV. Primum enim *Matth. 7.* universaliter dicitur: *Omnis, qui petit; accipiet*. In quæ verba Author Operis Imperfecti Homil. 18. *Sive justus, sive peccator sit*. Et *Luc. 11.* *Dico vobis, etsi non dabit, quia amicus est, propter importunitatem tamen surget, & dabit, quidquid habet necessarium*. Ubi vides importunitatem, hoc est assiduitatem precandi æquari, imò præferri debito, juri quæ amicitia; aded ut quod amico negari potest, negari non possit importunè roganti. Ex quibus Evangelii verbis colligit etiam S. Basilius in *Constitut. Monast. cap. 1.* *peccatores impetrare, quod petunt, si perseveranter petant*. Et *Luc. 18.* Publicanus orando indulgentiam obtinet: quo exemplo S. Augustinus *Tract. 44.* in Joan. arguit illius cæci verba, dicentis: *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit*. In quæ verba Augustinus: *Cæcus adhuc inunctus loquitur, nam & peccatores exaudit Deus; si enim peccatores Deus non exaudit, frustra ille Publicanus diceret: Deus propitius esto mihi peccatori*. S. Hieronymus quoque *Epist. ad Damasum de Filio prodigo*, docet, si peccator jam spe ac desiderio filius Dei sit, non absurdè in oratione Dominica dicere: *Pater noster,*
nam

nam & filius prodigus *Luc. 15.* nondum reconciliatus dicit se indignum, qui filius vocetur, & tamen Patrem appellat, cum ait: *Pater peccavi in Cælum, & coram te.* Et S. Chrysoſtomus Homil. 56. de diverſis: *Non tam valet amicitia apud Deum, quàm oratio, & quod amicitia non perfecit, id perfectum eſt ab oratione.* Idemque confirmat S. Gregorius in Pfalm. 6. Pœnitentialem (ſi tamen hoc opus Gregorii eſt) exemplo Jonæ Prophetæ: *Clamavit Jonas ad Deum de ventre Ceti, de altitudine maris, de profundo inobedientiæ, & ad aures Dei oratio illius pervenit, qui eum eruit à fluctibus, eripuit à beſtia, abſolvit à culpa. Clamet & peccator, quem à Deo recedentem cupiditatum tempeſtus contrivit, quem malignus hostis abſorbuit, quem præſentis ſæculi fluctus involvit, agnoſcat, ſe eſſe in profundo, ut ad Deum ſua perveniat oratio.*

Sed omnium luculentiffimè Angelicus Doct̃or 2.2.q. 83. a 16. in C. & ad 2. *In Peccatore duo ſunt conſideranda, ſcilicet natura, quam diligit Deus, culpa, quam odit. Si ergo peccator orando aliquid petit, in quantum peccator, id eſt, ſecundum deſiderium peccati (v. g. iracundus vindictam, avarus inſtium lucrum) in hoc à Deo non auditur ex Miſericordia, ſed quandoq; auditur ex juſtitia ad vindictam, dum Deus permittit peccatorem adhuc ampliùs ruere in peccata; Deus enim quadam negat propitiuſ, quæ concedit iratuſ, ut dicit Auguſtinuſ. Orationem verò peccatoris ex bono natura deſiderio procedentem Deus audit non quaſi ex juſtitia, quia peccator hoc non meretur; Sed ex pura Miſericordia, obſervatis tamen quatuor præmiſſis conditionibus, ut videlicet pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, piè, & perſeveranter. . . . Peccator quidem non poteſt orare, quaſi ejus oratio ex habitu virtutis informetur; poteſt tamen ejus oratio eſſe pia, quantum ad hoc, quod petit aliquid ad pietatem pertinens, ſicut ille, qui non habet habitum juſtitia, poteſt aliquid juſtum velle. Et quamvis ejus oratio non ſit meritoria; poteſt tamen eſſe impetrativa; quia meritum inſtitur juſtitia, ſed impetratio inſtitur gratia.*

Exempla quoque in Sanctis litteris abundant: Achabi Regis, 3. Reg. 21. Manaffis 2. Paralip. 33. Nabuchodonoforis, Daniel. 4. Debitoris mille Talentorum, Matt. 18. Filiis prodigi. Luc. 10. Jonæ Prophetæ c. 2. & 3. Publicani Luc. 18. Denique quod olim nomine rebellium Judæorum Daniel; id omnes peccatores dicere ad Deum poſſunt: *Inclina aurem tuam Deus meus, & audi: neq; enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.* Daniel. 9. 18. V. Et

V. Et planè id ipsum *ratio* convincit: Indignum enim est divina, infinitaque Clementiâ creaturam, ac filium repellere ejus auxilium & protectionem implorantem. Nec obstat, peccatorem indignum venia esse. Præterquàm enim quòd jam dignus aliqua ratione videatur, cum cupit, & conatur contra naturæ suæ impetum peccato obsistere, quæ voluntas, & conatus sine gratia Dei esse non possunt; ubi verò Dei gratia, ibi jam aliqua dignitas est. Ut inquam, de hoc sileam; illud prætereà observandum est juxta doctrinam Angelici, orationis efficaciam, & virtutem impetrandi non merito, & dignitate postulantis niti, sed Dei misericordiâ, Christi quæ infinitis meritis; sicut ergo merita Christi, Dei quæ misericordia peccatores non excludit; ita nec eos excludit vis, & efficacia impetrandi toties in Sacris Litteris promissa. Non ergo quæritur, quid mereatur peccator, sed quid Deum, ejusque Bonitatem deceat; non autem decet, ut filium repellat ejus genua complectentem, ejusque non amplius offendendi gratiam implorantem. Quid enim injurius, Deoque gravior peccator petat, quàm ne illum offendat? quis verò credat, sibi quæ persuadere possit, Deum juxta, & grata petentem non exaudire? Planè si nullus tam durus est, qui naufragium passò, & cum undis luctanti, operam quæ poscenti, manum non porrigat: & si Areopagus dignum morte Senatorem censuit, qui passerem sinu excussit, in quem se coniderat, milvo persequente; quantum minus credendum erit, divinam Bonitatem creature suæ, filioque facturam, quod nemo cum naufrago, nemo cum passere faciat. Deinde nisi Deus etiam peccatores exaudiat, tota ferè oratio etiam justorum invalida redditur: Anima enim orationis est certa fiducia impetrandi, juxta illud Apostoli: *postulet autem infide nihil hesitans, qui enim hesitat, similis est fluctui maris, qui à vento circumfertur; non ergo astimeat homo ille, quòd accipiet.* Jacobi I. Et ideo S. Doctor. 2. 2. q. 83. a 16. docet: *Orationem habere vim merendi à charitate; efficaciam verò impetrandi à fide & fiducia.* Et S. Bernardus Serm. 3. de Annuntiat: *Sola spes apud te Domine miserationis obtinet locum; nec oleum misericordiæ nisi in vasa fiduciæ ponis.* At si oratio peccatorum virtutem impetrandi certam non habet; sequitur, etiam justorum orationem, paucissimis exceptis, efficacem non fore. Quotus enim quisque est, qui sine vlla hæsitacione, nihil quæ dubitans credere possit, se justum esse? cum potius *nesciat homo, odio, vel amore dignus sit.* Si ergo orationis efficacia, orantis quæ fiducia pendet à præ-

fenti iustitia; sequitur, ut sicut nemo, paucis exceptis, certus est, se iustum esse; ita nemo certam impetrandi fiduciam habere posse, & consequenter nullius etiam iusti orationem efficacem fore, quippe destitutam eâ fiducia, quæ juxta Apostolum ad impetrandum necessaria est, hoc est, quæ *nihil basitat, nilq; dubitat*.

Si ergo Deus, ut demonstratum est, exaudit orationem peccatoris, quoties necessaria ad salutem postulat, sequitur, si peccator gratiam illam efficacem, malæque voluntatis triumphatricem, hoc est, auxilium se emendandi, perseverandique in bono postulaverit, infallibiliter obtenturum. Quid ergo superest peccatori, quod optare amplius, aut quo vecordiam suam excusare possit, si pereat, cum tot illi, tamque copiosa media suppetant, non pereundi? imò cum clavem acceperit, quâ Cœli thesauros, æternæque salutis aperire sibi januam certissimò, & tutissimò possit? Quid enim facilius, & promptius, quàm petere, quod non habeas? & tamen tam certum est, te petendo accepturum, quàm certum est, Deum id promississe, & fallere promissâ non posse? Si ergo non petas, & ideo non habeas, amabo te! cujus culpa id erit? Dei volentis dare, si petas; an tua petere recusantis?

VI. *Oppones.* Sæpius in Sacris litteris exprimitur, Deum aliquorum & contumacium peccatorum orationes non audire, imò eorum preces in peccatum verti. Nam *Thren. 3. v. 8. 42. 44. Sed & cum clamaverò, & rogaverò, exclusit orationem meam. Nos iniquè egimus, & te ad iram provocavimus, idcirco tu inexorabilis es. Opposuisi nubem tibi, ne transeat oratio, Et Prov. 1. Vocavi, & renuistis, & ego quoq; in interitu vestro ridebo: tunc invocabitis me, & non exaudiam; mane consurgent, & non invenient me, eò quòd exosam habuerint disciplinam.* Et *Jerem. 15. Si steterit Moses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum; eice illos à facie mea, & egrediantur.* Et *cap. 7. Et tu noli orare pro populo isto, nec assumes, pro eis laudem, & orationem, & non obstitas mihi, quia non exaudiam te.* Et ad *Hebræos 7. Esau reprobatus non invenit penitentiæ locum, quamvis eum lacrimis inquisisset illam.*

Resp. Sacras Litteras, quoties dicunt, Deum non exaudire aliquorum peccatorum orationem, loqui de peccatoribus, vel qui pergunt peccare, nullamque voluntatem emendationis habent, vel qui non pro culpa, peccatoque deinceps cavendo Deum rogant; sed tantum pro temporali pœna evitanda: Vel de illis, qui non pro se, sed

sed pro aliis rogant; isti enim non semper exaudiuntur; scriptum enim est: *Quidquid petieritis Patrem Vestrum, dabit vobis. Vobis*, inquit, non aliis. In quæ verba Augustinus: *Exaudientur, si pro se ipsis petant, non pro omnibus, non enim absolute dictum est, dabit, sed dabit vobis.* Tract. 102. in Joan. Ea verba: *In interitu vestro ridebo* &c. præter datas explicationes, quas solidissimas esse patet ipsum textum legenti, Beda, & Lyranus intelligunt de die iudicii, aut obitæ mortis, quando certum est, nullum amplius pœnitentiæ, & orationi locum esse. Illa verò, quæ S. Paulus ad Hebræos de Esau commemorat, & ex ipso contextu, & ex Patrum interpretatione certum est, non de pœnitentia commissi peccati accipienda; sed de pœnitentia venditæ, amissæque hæreditatis, ac primogenituræ, quam nullis lacrimis, nullisque precibus obtinere amplius à Patre Jacobo potuit. Gen. 27. v. 39.

§. V.

Aphorismi seu Regulæ Asceticæ de Mysterio
Prædestinationis.

S V M M A R I A .

- I. Explicatio primi Aphorismi.
- II. Explicatio secundi Aphorismi.
- III. Explicatio tertii Aphorismi, ubi de spe & timore.

Aphorismus . I.

I. **D**Eiis cogitandis, & faciendis sollicitum esse, quæ Deus præcepit, & quibus observatis nemo unquam periit: non verò de iis anxium esse, quæ Deus non præcepit, nec sciri à nobis voluit, quale est Mysterium Prædestinationis.

Hunc Aphorismum jam olim docuit S. Gregorius Nyssenus Magni Basilii Frater, qui Homil. 2. post Dominicam primam Quadragesimæ circa finem hæc habet: *Noli attendere ad Prædestinatio-*